monet, v.c. in l. de Perſec. ſub init. acriter invectus hoc nomine in Pſychicos, *Spiritum non recipientes*, in l. de Monog. quem, uti & alia, acerbe & petulanter, ut recte cenſent *Baron.* Annal. ad Ann. Chr. 201. §. 14. ſq. & *Pearſon.* in Vind. Epiſt. Ignat. P.I. c.11. f.337. contra Eccleſiam ſcripſit. In eodem de Monog. l. non veretur *Tertullianus* Paracletum hunc ſuum ceu *autorem, inſtitutorem, & reſtitutorem* duritiei & fanatiſmi Montanici laudare. *Quæ eſt ergo*, inquit hinc in l. de Veland. Virgin. rurſus f.m. 490. *Paracleti adminiſtratio niſi hæc, quod diſciplina dirigitur, quod ſcripturæ revelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur*, idque, ut in ſequentibus explicavit, per diverſas temporum vices id DEO tentante, ceu ex ſupra adductis conſtat locis, & per fictum hunc Paracletum, durioris, rigidioris, & parum ſolatii ſecum ferentis diſciplinæ autorem, complementum addente, objecto majoris pietatis, perfectionis, & ſanctimoniæ glaucomate, ceu ex Pietaſtri noſtri ſcriptis contra Eccleſiam libris ſatis conſtat.

§. 9, Diſtinctius *Pſeudo* hujus *Paracleti* doctrina cognoſcetur, ubi preſſius, & diſtinctius etiam, fanaticos in Pietiſmum fanaticum lapſi *Tertulliani* errores cognoverimus. Ulterius enim Montanicos viri hujus errores quod attinet, conſpiravit etiam VI. cum hoc homine Enthuſiaſta quoad doctrinam de *traditionibus* perverſam, quarum *confirmatorem* ſuum *Paracletum, ducem univerſæ veritatis* non ex ſcripturis, ſed afflatu ſuo eſſe fingit. vid. de Jejun. c.10. f.m. 777. Eximie hoc etiam obſervavit B. noſter *Chemnit.* Ex. C.T. P.I. f.82. *Montanus*, inquiens, *amplexus eſt doctrinam V. & N.T. ſed præter hæc docuit, neceſſarias etiam eſſe obſervationes à Paracleto traditas, quia Chriſtus dixerit, Apoſtolos non potuiſſe omnia portare, ſed multa reſervanda fuiſſe Paracleto.* Notare hoc in Montano etiam voluiſſe videtur ſcriptor ille, quem *Apollinarium Hierapolitanum* fuiſſe nonnulli credunt, apud *Euſeb.* H.E. l.5. c.16. qui rationem explicaturus, quare hactenus nil contra fanaticum iſtum ſcripſiſſet, negavit hoc nomine id à ſe factum ἀποφεύγων δ' δύναται ἐλέγχειν μὲν τὸ ψεῦδος, μαρτυρῶν δὲ τῇ ἀληθείᾳ, *quod aut mendacium refellere, aut veritati patrocinari minime valeret; ſed quod vereretur aut reformidaret, ne*

forte